Deo optimo maximo uni & trino, Virgini Deiparæ, & ſancto Lucæ orthodoxorum Medicorum Patrono. 1320

QUÆSTIO MEDICA

Quodlibetariis diſputationibus manè diſcutienda in Scholis Medicorum die Jovis 3. Decembris.

M. IOANNE-BAPTISTA RENATO MOREAU, Doctore Medico, Præſide.

An ex vocis & loquelæ modò, Corporis & animi virtus conjici poſſit?

HOMO ex duobus conſtat, corpore & animâ: abſque horum alterutro non homo ſed ἀκατέργαστόν τι pronaſcitur. Corpus ſolum caducum & diſſipabile, licet eleganti formâ prædituṁ, eſt ingens ſine nomine truncus; Hæc ſemper una, & originis planè divinæ, corporis ergaſtulis ſemel expedita, ſui quidem eſt juris, & ſuum munus perfectius exequitur: ſed nullus eſt homo. Quæ longe nobilior, inſitas & quaſi conſignatas in ſe recondit notiones, omnium virtutum, & ſcientiarum ſemina: ut nemo ſit adeo rudis, qui non aliquando inſtituatur. Sinceras, nec corporis labe infectas ἐννοίας, cum vi propriâ elicit, aut potius inſpicit, modum ponit ſuis cupiditatibus, quibus variè ſolet diſtrahi, eumque unâ metitur prudentiâ, quæ ſola omnis eſt virtus; atque cum eadem anima, innatâ cupiditate videndi veri, maxime ducatur, rerum omnium principia quæ concludit tractans & retractans, unius initij vinculo, res omnes quaſi concatenatas contineri, demonſtrare nititur: ſicque, quod non videt verum, ſibi fingit: immenſam cœli magnitudinem definit, ſolis curſum ſignat, notat ſtellarum progreſſiones & inſtitiones, quid apud ſe fiat diſtinctè animadvertit, non ita ſciens rerum quæ in corpore peraguntur, ex quo utriuſque naturam infinitis ſpatiis diſſitam probe intelligere eſt.

CORPORIS humani dignitas, non opinione exiſtimanda; illa eſt, quanta placuit naturæ inventori, & principi: non qualis placet quibuſdam Philoſophis. In eâ re quæ habet quod ad naturam voluit pertinere Deus, nihil deſideratur. Hinc homo qui duos oculos, ambas manus, binos pedes obtinet, cumulatè perfectus cenſetur; non qui uno, aut centum luminibus, manibus centum, vel quatuor pedibus inſtruitur & utitur; quæ ſunt fabularum non naturæ inventa. Homo animalium formoſiſſimum & infirmiſſimum, mundi incola & ſpectator, rerum externarum imaginem per ſenſus, qui viæ quædam ſunt ad animam perforatæ, curioſiſſimè haurit, ſibi primò conſulens in conſectandâ voluptate, & declinando dolore; deinde ad cæteras res, ut occurrunt, otiandi causâ ſe applicans, immenſam tamen rerum objectarum varietatem & numerum, non accipi, eo conjici poteſt, quod cuilibet ſui ſint ſentiendi termini, quos citra vel ultra, aut non movetur aut læditur. Nonne illi, qui acutiùs cernit, reſtat aliquid quod oculos effugiat? non ſunt profecto certa extrema, nec omnibus eadem. Quorum corpus natura optime coagmentavit, ij multo potentius admovent ſuos ſenſus, tardiuſque & deſiſtunt & mortem oppetunt: quorum organa minus bellè ſunt conſtituta, ij minus ſagaces habentur, celeriuſque ab opere vacant & occumbunt. Ut enim lapides duriores & compactiores, difficilius atteruntur & divelluntur, ita & quod optimè conglutinatum eſt corpus, ægrè diſſoluitur.

SED quidquid feliciori meditatione conquiſivit homo, quidquid à ſenſu traditum & impreſſum effingit, ſibi ſoli haberet, niſi certo quodam modo aliis largiretur: ſignis nempè oſtendit ſuam mentem, voce & litteris. Illam excogitavit natura, Hæ neceſſitati debentur. Homo miſer, inops, & ægrè apud ſe manens, ſonos & litteras æque animi interpretes, ut ſibi ſubveniret, adinvenit. Larynx legitimum vocis organum & multitudine muſculorum & corporibus duris, concavis, politiſque & rimulâ præcipuè apparatum, licet omnium animantium ferè communis; uni tamen homini vox maxime ingenita eſt, quam variè flectit & immutat, quia rationis compos & μιμητικώτατος, cum cætera animantia ad paſtum abjecta, aut omnino ſileant, aut ſi quem profundant ſonum, non tam amplis diſtinguatur differentiis, quia ἄλογα & inepta. Cartilagines tres, Thyroidem, quæ prominet ſcuti in modum; Cricoidem, quæ annulum imitatur; & Aritænoidem, quæ duplex, & infundibuli formam refert, calliſſimo artificio fabricata eſt natura. Hæc quælibet, exceptâ Cricoide, à variis muſculis incitatur, nondum tamen vox efformata ſequitur. Hoc opus adimplet γλωττὶς, quæ rimula eſt ex duobus Arytænoidis proceſſibus efficta, non abſimilis linguæ quam fiſtulæ cicutis compactæ repreſentant. Aere ex amplis pulmonum ſpatiis reſiliente, per rimulam, incredibilem quamdam conſtrictionis & dilatationis varietatem, perpeſſam, varij generis voces cuduntur: quæ connexæ & uno ſenſu comprehenſæ loquelam efficiunt. Ad vocem delicatiorem & nitidiorem conferunt, lingua, plectri; & dentes chordarum ſimiles, majorem uſum palato præbente, quod editum ſonum retinet: attamen avulſâ linguâ, attritis dentibus & perforato palato, etiam vox elicitur.

QUI optimè mirari novit, vocem & loquelam maximè mirabitur: Ab homine nihil præſtabilius dari poteſt. Qui primus hominem loquentem audivit, credo rei inſolentiâ multum fuit attonitus. Fragor à corpore tenui & molli, aut ſaltem non uſquequaque duro promitur, qui etiam homines fortiſſimos terret. Vox ſcilicet & loquela mentem pingens, aliorum mentes movet & excitat: eadem, cum certum quemdam habet motum, ordinem & ornatum, dignius aſſumens nomen, proprium amittit, Eloquentia nuncupatur, quæ, quo vult, ducit animos quaſi vinctos; unde vult, revocat. Quadam etiam ratione vox compoſita, & intervallis paribus & imparibus conjuncta Harmonia eſt, ſpirituum animalium motrix jucundiſſima, quæ omnibus ſæculis fuit aliqua, adeo ut infans puer, & pene balbutiens voces concinnet ad delectationem. Nulla gens eſt tam barbara quæ ſuam non habeat eloquentiam & harmoniam. Ita vocis & loquelæ efficacitas in animos nota eſt & perſpecta. Hæc eſt illa quæ imperat, quæ diſſipatos homines in ſocietatem convocavit, urbes condidit, amicitiam colit; quæ hominum facit commercium; quæ ſcientias & artes traducit; quæ malæ animi ægritudini medicinam adhibet; quæ tandem honorificentiſſimè de authore ſuo prædicat: Vox & loquela ita ſunt homini propriæ, ut has ad eum, magis intimè quam riſum, pertinere exiſtimaverim: atque ſi aliquorum fuiſſet fatum, ab infantiâ recondi in ſpeluncis, nullus dubito, quin ſolo naturæ invitamento vociferarentur.

CONJECTURA ergo cum innitatur principiis, licet non uſquequaque firmis, ſed ut plurimum rem eamdem commonſtrantibus; ex vocis & loquelæ modo, multa de corporis & animi indole præſagire poſſumus. Laryngis equidem eſt vox, ejuſque affectionem proximè declarat, ut effectus cauſam arguit. At Laryngem diſponi ut totum corpus, abundè teſtatur maxima illa commutatio, quæ pubertatem deſignat, in qua & corpus vegetius & vox gravior evadit: unde in judicandâ corporis facultate voci non temere creditur. Loquela autem cum ſit animi cogitantis, qualis illa, talis & ille non immeritò ſtatuendus. Sermo facilis copioſus & plenus, animi capacis; temerarius & confidens, audacis & tenuis: preſſus, rebus abundantis, non verbis ſuperfluentis index eſt; qui verecundè & decorè loquitur, modeſtum & ſapientem patefacit animum; qui placidè & ſedatè dicit, pacatum & mitem; qui turbulentè, iratum; qui tardè, ſegnem; qui humaniſſimè, amantem ſe docet. Non minora à voce expectanda indicia. Quæ præceps eſt canora & flexibilis, ab organorum libertate & facilitate; & à ſpiritus motu celeri proficiſcitur: tarda, ſpiſſa & dura, ab aliquo in inſtrumentis impedimento: acutam aut gravem faciunt unà cum glottidis tenuitate, laryngis ſiccitas aut amplitudo, humore diffluens. Magna, contenta & elata, qualis pedem dicentium, loci aerem concludentis capacitatem & robur conſequitur; ſecùs, parva inclinata & ſummiſſa; tremens & firma, ſpirituum vim ſignificat, aut imbecillitatem. Hactenus quod conjecturis ſuperſtruximus, totum eſt opinabile, præcipuè quod de animo, per loquelam ſumus rimati. De illo namque vix quidquam certi haberi poteſt, niſi quod ſponte patefecerit; cum in omnes corporis motus poteſtatem habeat, quos ad libitum adminiſtrat: ex quo fit, ut ſæpe numero ſigna perſiſtant, res vero ſignificata nulla ſit: quod Socratis celeberrimo exemplo patet, quem Zopyrus phyſiognomon notaverat, licet vitia non extarent in vultu & oculis indicata: nihilominus ſtat concluſio.

Ergo ex vocis & loquelæ modò, Corporis & animi virtus conjici poteſt.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Petrus Bonnet.
M. Ioannes Armandus de Mauvillain.
M. Ioannes-Baptiſta-Renatus Moreau, Præſes.
M. Nicolaus Pelletier.
M. Renatus le Comte.
M. Franciſcus Afforty.
M. Petrus Creſſé.
M. Ioannes-Antonius Morand, Cenſor.
M. Alex. Michaël Denyau, Profeſſor Regius.

Proponebat Lutetiæ PETRUS LAURENCEAU, Pontoſequanus Campanus. A. R. S. H. MDCLXXVI.